

L 6 Auf hoher See

Iam diu navis Flaviorum in alto mari¹ est.

Flavius laetus est, Aulus et Marcus laeti sunt, nam ad terram novam navigant;

neque Caecilia matrona iam maesta est.

Ventus est secundus et magister² navis ac nautae gaudent.

Sola Flavia maesta est, nam Quintum amicum cogitat.

Subito magna navis procul apparet.

Tum Aulus: „Vide, Marce! Pater, mater, videte!

Navis appropinquat.“

Iam magister² nautas vocat et incitat:

„Audite, nautae! Piratae appropinquant.

Arma sumite! Abducite feminas in proram³!

Navem defendite! Piratas in fugam date!“

Ubique est clamor et tumultus⁴.

Flavia valde timet neque lacrimas iam tenet,

Caecilia Iunonem vocat:

„O regina dearum! Audi me! Benigna⁵ es!

Da nobis⁶ auxilium! Defende periculum!“

Sed Iuno Caeciliam non audit.

Iam multi piratae in navem transiliunt⁷.

Magnus est furor. Nautae acerrime⁸ pugnant;

Flavius et Marcus et Aulus feminas defendunt,

sed piratae superant.

Alios necant, alios in mare¹ praecipitant,

alios in insulam Cyprum abducunt.

1) **mare**: Meer/**in altō mari**: auf hoher See 2) **magister** (hier): Kapitän 3) **prōra, -ae** f: Vorderschiff
4) **tumultus**: Durcheinander 5) **benignus, -a, -um**: gütig, gnädig 6) **nōbīs**: uns 7) **trānsilire**: (hinüber)springen
8) **acerrimē**: erbittert